

3. Etiamſi DEVS ipſum bene velle dat, ubi operatur ad noſtri converſionem, *Jer. III, 33. Deut. XXX, 6. Ezech. XXXVI, 27. Pf. XXV, 4. 5. Pf. CXIX, 36. Jerem. XXXII, 39. 40.* fleſcit enim DEVS hominum corda, quo vult; *Prov, XXI, 1.* interim tamen dicit etiam idem Jehova: totum diem extendi manus meas ad populum, qui non credit, & contradicit, *Rom. X, 21.*

4. Equidem DEVS ipſam cordis reſiſtentiam tollit, operando ad noſtri converſionem; *Ezech. XXXVI, 26. ſeq. Deut. XXX, 6.* verum enim vero poſſumus nos, cor noſtrum obvertere, *Deut. XXX, 17, Act. VII, 52.*

5. Quanquam arbitrium, ſeu voluntas hominis, eſt ſerva peccati a natura, & operatio gratiæ ab ea non pendet; exinde tamen non ſequitur, Spiritum S. per gratiam irrefiſtibilem convertere ac cogere violenter hominem, ratione præditum. Contrarium Scriptura S. docet, *Ezech. XVI, 4-34.*

6. Homo quidem non debet diſcernere ſe ipſum & gloriari, ac ſi non accepiffet ea, quæ habet; *1. Cor. IV, 7.* interea tamen non accepit ex gratia irrefiſtibili, quam infallibiliter ſequitur converſionis effectus, *Deut. XXX, 15-19.*

7. Vtut actus miſericordiæ & voluntatis miſerendi effectus non pendeat a voluntate hominis; *Rom. IX, 15. 16. 18.* libera tamen ejuſdem voluntas a neceſſitate interna eſt; nec obedit ſemper voluntati miſerentis ac convertentis DEI, *Matth. XXIII, 37. Jeſ. XXVIII, 12. Rom. X, 16.*

8. Poſita gratia reſiſtibili, non ſequitur, principium ſalutis eſſe ab arbitrio hominis, prævertente DEI gratiam: & efficacius eſſe arbitrium hominis, actione DEI convertentis, qui in opere converſionis non absolute agit, ſed ſecundum ordinem ſalutis, a ſemet ipſo præſcriptum, *Act. XVII, 30. Cap. XXVI, 18.*

9. Poſita eadem, non ſequitur, humanæ voluntatis interven-